



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 90. Sanctissimæ Triadis mysterium in Mordienti conventiculo  
impugnatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

cturum prænosset, aliunde vero illuc accedere minus gratum esset, omnino abesse constituit.

## §. CX.

*Sanctissimæ Triadis mysterium in Mordien-  
diensi conventiculo impugnatum.*

*Lubien. hist.*  
*Ref. Pol.*

**M**ense Junio anni sequentis sollicitante Lutoromiskio viginti duo Ministri Mordii, quæ urbs in Vilnensi Palatinatu sita est, convenerant, ibidemque decretum condiderant adversus illos, qui Dei unius in tribus Personis dogma tuerentur. Hoc decreto veluti primo signo ad tumultum dato potissimæ ex reformatione spuria Ecclesiæ insurgentibus contra Sanctissimæ Trinitatis Mysterium; quamplurimi enim Ministri, Nobiles, Magistratus, Equites, Gubernatores, Palatini, exercitus Belliduces, ac minoris, majorisque Poloniæ, Lithuanicæ, Russicæ, Podolicæ, Volhinicæ, Prussicæ, Moravicæ, Silesicæ, & Transylvanicæ Consilarii novo Arianismo nomen dabant, atque Christi Domini Divinitatem, æqualitatem, ac consubstantialitatem impugnabant, quinimo horum factio, et si forte inter Ecclesiæ Romanicæ inimicos ceteris tam numero, quam potentia superior non fuerit, saltem Lutheranis, & Calvinisticis omnium maxime terribilis videbatur: eapropter  
hi,



Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

hi, ut horum factionem aut everterent, aut saltem reprimerent, in Petricovien-  
sibus comitiis cum omnibus illis, qui  
Trinitatis Mysterium impugnaturi essent,  
in arenam publice descendendi liberta-  
tem petebant: id quoque eorum pre-  
cibus datum, ut primum in Historiæ  
nostræ progressu referemus; hæc enim  
comitia non nisi Anno Christi millésimo  
quingentesimo sexagesimo quinto fuere  
celebrata.

Ceterum Valentinus Gentilius ce-  
lebris ille Antitrinitarius, qui, ut su-  
pra meminimus, ob errores suos Lug-  
duni Anno Domini millesimo quingen-  
tesimo sexagesimo secundo carceri man-  
cipatus fuerat, tandem hac urbe exce-  
sit, cum autem nec in Francia, nec a-  
pud Helvetios satis suæ securitati con-  
sultum crederet, hinc Poloniam versus  
contendit, ubi vicissim factionem Anti-  
trinitariorum corroborabat, qui jam a-  
liunde hoc Regnum crudelem in mo-  
dum devastabant: cum autem ingenio  
vehemens, atque ad quævis audenda  
projectus esset, ibidem tanquam Vir  
huic factioni oppido necessarius exci-  
piebatur, unde quamprimum advenerat,  
mox die quarta Novembris Anno  
post Christum natum millesimo quin-  
gentesimo sexagesimo secundo ad Pinc-  
zoviensem Synodum deducebatur, ut  
ibidem



Sæc. XVI.  
A.C. 1562.

ibidem suæ doctrinæ specimina ederet, atque opere demonstraret, quod ejus amici opem tanti Viri haud incassum implorassent: itaque Valentinus in hoc congressu propugnabat, quod Deus ab æterno creaverit Spiritum excellentem, ac mirabilem, qui in plenitudine temporum incarnatus est: porro hæc erat genuina Arii doctrina: postquam igitur Valentinus amplis verbis suam scientiam jactitaverat, omnes suos errores in unum collectos Sigismundo Augusto Regi veluti puriores Evangelii veritates porrigebat, atque indignum profus in modum de Symbolo Sancti Athanasii locutus erat, illudque Sathanæ Symbolum appellitabat.

§. XCI.

*Bernardinus Ochinus Tigurinus  
Minister.*

*Vide lib.  
CXL. §.  
LVIII. &  
LX.*

Interea jam ab Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto celebris ille Bernardinus Ochinus, cujus sæpius meminimus, Tiguri morabatur, ibidemque Ministrum agebat Italæ Ecclesiæ recens conflatae, ac præcipue compositæ ex quibusdam viris Lucerno profugis, qui spuria reformationis dogmata profitendi libertatem in sua patria obtinere non poterant, eo quod Catholici Helvetiæ Pagi sese illis oppo-